



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Quibus Totum Hominis Christiani Officium Explicatur; Quídkue is fugere,
quid agere debeat, quàm exactissimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindelicorum, Anno M.DCCXII.

VD18 90637054

Discursus II. De Necessitate & efficaciâ Orationis. Cùm Oratio
generalissimum mala nostra curandi sit remedium, ostenditur, quòd,
quàm facilè est per illam, propter admirandam ejus efficaciam, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51667)

DISCURSUS SECUNDUS, DE NECESSITATE

tum omne & pravum commercium
abdandum, jam denique culvis, ut
deceat, ad Deum revertendum, pecca-
tūque deserendum, ne nos ab illo
prius deseramus. Talis poenitentia
secundum omnem suum valorem in-
tegrissima erit moneta: integrā quo-
ad materiam, integrā quoad pondus.

*Vivus & sanus confiteberis; atque aded-
rite expiari merito illam à Deo pecca-
torum veniam sperare poteris, quam
impetrare differentes, temerariè vobis
pollicemini. Vivus & sanus con-
fiteberis, & gloriaberis in
miserationibus
ejus.*

DISCURSUS II.

De Necessitate & efficacità Orationis.

SI vera esset Pythago-
ricorum opinio Mu-
ficam esse remedium
omnia curandi ma-
la, an non videren-
tur, sibi ipsis infensi
Infirmi illi, qui tantā cum facilita-
te, Imò tantā cum lætitiā salutem
suam comparare recusarent? Si verò
natura non permisit morborum no-
strorum remedia esse tam facilia, ne
nimis frequenter illis affligeremur?
Gratia tamen, aut non multum præ-
judicium hoc timendo, aut planè non
curando, talia permisit. Unde pro-
venit, tamen ab illā orationis nostræ
voci omnibus medendi malis colla-
tam esse virtutem, quantam ne qui-
dem de Sphærarū cælestium harmo-
niā Philosophi quondam somniā-
runt. Et nihilominus aspice quæ-
so, qualis pigris lethargus potissi-
mam Christianorum partem oppres-
sam teneat! Innumeri sunt, tale reme-
dium ad salutem suam à Divinā desti-
natam Providentiā, aut respicientes,

aut negligentes, De hoc ergo reme-
dio hodierno die discurrā, utque
eodem sapius utamini, urgentia
proponam motiva. Antequam verò
orationis demonstrarem efficaciam, pri-
mò, necessitatem ejus luculentis fir-
mabo argumentis, spe fretus ejusdem
vos mecum futuros sententiæ, quā
facile sit omnibus peccatoribus salu-
tem æternam hoc medio acquirere, &
quā hoc ipso excusari nullā ratione
mereatur, qui illo neglecto æternum
perit.

I.
II. Primò autem non vellem vos
existimare, cum de oratione loquor,
me cogitare in desertum vos dedu-
cere, ubi ab omni humano segregati
confortio, septies in die, sicut S. Ma-
ria Magdalena, in ærem elevari debe-
atis, cælumque conscendere. Per ora-
tionem intelligo, in præsentī & pro-
priè, orationem, id est, petitionem,
quā mediante desiderium, bonum
aliquod à Deo obtinendi, exprimi-
mus. *Oratio est petitio decentium à Deo.*
Ita definit S. Joannes Dama-
scenus:

scenus; quo posito vobis demonstra-
bo orationem hanc, seu, ut melius di-
cam, petitionem, utroque necessita-
tis genere, à Theologis in Scholis re-
cepto, esse necessarissimam; necessi-
tate scilicet medijs, & necessitate præ-
cepti. De posteriore, utpote notiore,
prius agamus.

III. Roma antiqua olim legem
habeat, quæ postea tanquam super-
stitiosa ab Imperatore Theodosio sub-
lata fuit; non licere hæredi, quisquæ
que ille foret, in iudicio hæreditatem
suam exposcere, exceptis tribus his
diebus: Martis, Jovis & Sabbathi. Ast
videte, quantum lex à Christo supre-
mo nostro Legislatore lata isti sit
opposita. Tantum abest, aliquem
voluisse excludere diem, quo non
liceret caelestem à Patre nostro supre-
mo flagitare hæreditatem, imò etiam
quo liceret non postulare, ut ne qui-
dem, ut ita dicam, aliquod momen-
tum exceperit. *Oportet semper orare
& non deficere.* Et, ut verum dicam,
nimis clarè id ratio exigit. Omni
momento coram DEO pauperes su-
mus; justum est ergo, ut Deus velut
tales mendicos nos videre velit. Pau-
peres superbos nimis odit, ut h. be-
tur in Ecclesiastico: & quales hos pu-
tatis esse? Sunt illi, qui in extremâ ne-
cessitate omni re egentes, nihilomi-
nus ipsi, qui solus indigentibus illorum
subvenire posset, ne quidem verbo
ex corde prolato supplices fieri vo-
lunt: Non ira sit, *oportet semper ora-
re & non deficere.* Ideòque confide-
rate, quid Christus fecerit, ut ad sem-
per petendum nos obligaret? à tanto
R. P. Segueri Christ. Instr. Tom. III.

nos eripuit malo, quantum erat, Deo
invitos vivere.

IV. Imò simul etiam ingenti nos
dignatus est honore. Quia licet abs-
que precibus id, quod desideramus,
à DEO obtinere possemus, absque
comparatione melius est nobis, me-
diantibus precibus illo potiri. Ita-
que imprimis summopere ab ipso ho-
noramur. Ut enim verum loquar,
quanta demum res est, crebra à DEO
accipere beneficia? hæc fors & be-
stijis communis est. *Aperis tu ma-
num tuam, & implet omne animal bene-
dictione, jumenta, columbæ, corvi, pas-
seres ipsi, quos nec sub porticibus ve-
stris hospitari permittitis, continuis
à Deo aluntur beneficijs. Sed quid
hoc? bona quidem accipiunt omnes
bestiæ, sed non impetrant. Impetra-
re aliquid supràterram, solis à DEO
hominibus concessum est. Adeòque si
Deus aliquod bonum non rogatus vo-
bis impertiretur, tali actu tantum de-
clararet, nos bonorum capaces esse; ubi
verò supplicibus permotus precibus
petita largitur, ea nos insuper prome-
ritos declarat. Acque hæc sublimis
est gloria. *Elevabis ad Deum faciem
tuam; rogabis eum, & exaudiet te.**

V. Tantò magis, quantum preces ad
Deum fuscæ altioris sunt ordinis, quàm
quibus terræ hujus Principes colun-
tur, quibus supplices porrecti libel-
li nullius sunt lucri, sed meræ jac-
turæ; si petitione tuâ frustreris,
oleum perdidisti, & operam, ideòque
melius est non rogando ab ipsis quid-
piam obtinere. Verùm non ita se res
habet apud Deum; ipsum supplicare
apud

apud Deum, jam est aliquid lucrati,
Tantummodo invocetur nomen tuum

1f. 4. 10. *super nos*, quia sola Oratio ob præclaros virtutum actus eam comitantes & modo debito peracta, insignem conjunctionem habet utilitatem: unde nulla

S. Thom. 2. 2. q. 93. art. 15
Rom. I. 12.

Oratio ad Deum fusa frustranea dici potest. *Idem Dominus omnium dives in omnes, qui invocant illum*: dives in illos, qui obtinent, dives in illos quoque, qui non obtinent. Quia, qui obtinet, impetrat bonum illud, quod petivit; qui non obtinet, illi satis emolumentum est, preces suas ad Deum fuisse: adeoque uterque à Deo locupletatus recedit. *Oratio mea in sinu meo convertetur.*

Pf. 34. 161

VI. Denique pluribus & fervidis petitionibus divinas obtinere gratias, efficit, ut easdem plurius æstimes: id quod dici non potest quanti sit momenti. Quid causæ est, quod lusores nummos illos tam parvi faciant, quos ex abaco lusorio retulerunt? causa est, quod lucrum illud nullo constiterit labore. Sicut vas aliquod largioribus vastum labris facile impletur aqua, Ita quoque absque labore effunditur: ita illorum manus, pecuniam absque sudore acquisitam, incuriæ dilapidant. Putatisne, tam prodigum fore lusorem, si sudore vultus sui id, quod tantâ cum levitate adeo malè impendit, diu irrigasset? minimè profecto; sed Euctionum more pecuniam proprio sanguine non minoris faceret; adeo utrumque pari custodiret amore, Prudenter itaque Christus nos voluit ab æterno Patre auxilia gratiæ efflagitare,

ut quod ignorantia nostra, sine precibus obtentum, parvi pendit, id impertrandi difficultas magni nos faciat æstimare. *Vitam manus tua invenisti*. Inquit Propheta, *propterea non rogasti.*

VII. Verum est, Christum, adorandum nos obligando; non respexisse solum utilitatem nostram: sed potius, ut justum erat gloriam æterni Patris sui. Mancipia solebant olim in facie signari, ut ex aperta adeo notâ, cujus essent Domini, dignoscerentur. Nos verò cuncti nascimur Dei mancipia, non quidem in vultu signati, id est superficie tenus, sed in corde, hoc est, in intimo Esse nostro adeo Creatori nostro subiecti, ut ille ipse totâ suâ omnipotentia ab hac altissima servitute, & subiectione eximere nos non valeat. Quare hoc principium nostrum eo modo, quod ab ipso dependemus, cognoscere debemus: & quia ab ipso non solum tanquam à supremo Domino, sed etiam à Domino infinitè bono dependemus, ideo non solum adorationibus & Sacrificiis, sed etiam orationibus & precibus à nobis colendus est. Adeoque inter omnes religionis actus, quibus essentia divini profitemur plenitudinem, præcipuus est, secundum S. Thomæ doctrinam, actus orationis. *Oratio præeminet alijs actibus religionis.* Non solum quia cæteris Religionis actibus, ut sunt genuflexiones, inclinationes: incensationes, similesque alij ritus, Esse nostrum externum, oratione verò internum illi subijcimus; sed etiam quia tali actu ostendimus, Deum

um à nobis æstimari pro eo, qui est, id est, inexhaustum bonorum omnium Oceanum, qui in mille possit distribui flumina, nec unquam tamen diminuit. Et huc fortè respexit Prophetas, dicendo: *In quacunq[ue] die invocaverote, ecce cognovi, quia Deus meus estis.* Quasi insinuare voluisset, optimam Deum, ut Deum, colendi, manifestationem esse, precibus invocare, Veritas hæc adedò clara est, ut etiam ipsi Gentilibus in tenebris suis illuxerit: unde quidam illorum dixit; Principes suos similitudinem cum Diis non participare ab exercitiis, neque à thesauris, neque à triumphis, neque à statuis, ubique locorum magnà cum superbiâ erectis, sed solum à supplicibus precibus illis oblati.

Qui fingit Sacros auro, vel marmore vultus, non facit ille Deos, qui rogat, ille facit. Ex dictis patet, in quo fundetur illa Orationis necessitas, quam dicimus Necessitatem præcepti.

VIII. Sed mihi non sufficit hæc sola necessitas, quâ ad orandum vos incitem. *Oportet semper orare & non desicere.* Ostendam vobis cum viris Sanctitate Illustribus aliam magis essentialem, dictam necessitatem Medij, quâ uno verbo declaratur; tanti interesse precibus suppliciter Deum exorare, quantum fieri possit, quanti est salutem suam procurare. Credo vos non ignorare, quod omnibus naturæ viribus sufficientes non sumus, aliquid unquam boni facere. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: opus est auxilio*

Divinæ Gratiæ. *Sed sufficientia nostra ex Deo est.* Contrarium affirmare, manifesta foret hæresis, jam in pluribus Concilijs ab Ecclesiâ condemnata. Archita, celeberrimus inter antiquos Mathematicus, columnas aliquas sculpsit mirabiles, eâ dexteritate & arte, ut secretis aliquor rotulis interiorius coagmentatis, impulsûmque ad volandum artificialiter cientibus, medium tranarent aërem, Sed quâmdiu? cessante illo impulsu, columnæ per se ipsas cadebant in terram, quia ad elevandum se extrinseco instrumentorum & fulcrorum indigebant auxilio; ad relabendum verò proprium pondus sufficiebat. Ita & nobiscum se res habet; ut ad boni aliquid faciendum excitemur, assistentia Divinæ Gratiæ summè nobis est necessaria; ad præcipites verò nos in malorum barathrum agendos, nullitatis & naturæ nostræ ad ima tendentis gravitas satis habet virium. Hanc autem gratiam non vult dare Deus absque Oratione: juxta illud: *petite & accipietis*, quapropter unicuique nostrum Oratio tam est necessaria, quam necessaria est ipsa Gratia. Ita fatentur unanimiter Doctores, præeunte S. Augustino; receptissimo illo suo principio: *nullum credimus ad salutem, nisi lib. de Deo invitante, venire: nullâ salutem suam, nisi Deo auxiliante, operari; nullum nisi orantem, auxilium promereri.* Verba hæc, propriè loquendo, sunt velut catena aurea trium annullorum sibi invicem connexorum: sicut enim impossibile est à statu perditionis pervenire ad statum salutis, nisi quis à Deo

à Deo vocatus fuerit, & sicut impossibile est, ut vocatus à Deo ad statum salutis, illam sine novo gratiæ auxilio sibi concessio operetur, ita impossibile est absque assiduis precibus eadem gratiæ auxilia mereri. *Nullum credimus, nisi orantem auxilium promereri.*

Ideoque Christo ipsi cum cælum aperiretur, ut in visibili columbæ specie supra ipsum Spiritus Sanctus descenderet, non in ipso actu apertum est, cum staret in aqua, Baptismumque per Præcursoris manus reciperet, sed postquam egressus undis actu orabat:

Luc. 1. Jesu baptizato orante, apertum est cælum; ut significaret, quemadmodum explicat S. Thomas, quantopere

S. Th. 3. p. 9. 39. ar. 4. in c. Fidelibus, etiam mundatis, ad recipiendum qualecunque gratiæ donum, post baptismum necessaria sit oratio; quia videlicet fidelibus necessaria oratio est post baptismum: licet enim post baptismum omnes culpæ extinctæ sint, non ideo quoque rebellio, ad easdem irritans, edomita manet, illaque solâ orationis ope sedanda est.

IX. Video vos hæc dicta mea, si non ut falsa! saltem velut amplificata accipere: tot contra me in corde vestro adducentes testimonia, quot vestram hinc estis præsentis, qui absque ullâ petitione magna à DEO ad bonum vobis videmini accepisse auxilia, etiam quando vitam viventes dissolutam, minimèque ad ea Intentam, illis destitui merebamini. Quare ad enervandam hanc vestram, & satis validam, ut videtur, objectionem, duo ponderanda sunt. Primum

est, Deum verè quasi impatientem diffusionis sui ipsius tam diu expectandæ, etiam supra non flagitantes suam profundere gratiam, quemadmodum nocturno tempore hominibus altum dormientibus, rorem suum cælum distillat.

Verùm hoc, inquit S. Augustinus, de primâ gratiâ, homine nondum à Deo prævento, intelligi debet. *In Rom. 1. ventus sum à non querentibus me. Non de secundâ, quando homo jam præventus ad recipiendam secundam, primâ se juvare potest, accipi debet, Deum nobis dare aliqua, etiam non orantibus, ut inisum fidei; alia non nisi orantibus præparasse, sicut perseverantiam.* Quando primâ vice terra frumentum produxit, nec aratro scissa, nec semente culta fuerat, solo Divinæ vocis imperio illud proferebat. Sed non ita vice secundâ: unde messis altera à labore, & culturâ hominum dependebat, Ad eundem modum peccator à DEO ad pœnitentiam vocatus, ad instar terræ aridæ primâ vice aliquid boni operis germinat: hæc prima gratia, cui primus hic debetur fructus, absque orationis labore provenit; sed non eodem modo absque orationis culturâ secunda datur gratia, hoc est, gratia illa ad bonum inceptum continuandum necessaria, quæ est quasi messis secunda. *Alia non nisi orantibus præparasse, sicut perseverantiam in finem.*

X. Alterum, quod ad tanti momenti veritatem cognoscendam ponderare oportet, est quod sequitur. Verum est Deum aliquando non rogatum

tum nobis quædam gratiæ impetrati auxilia, etiam quando supplices ab eo flagitare possemus : sed in hoc casu non secundum ordinarium, ut solet, sed secundum extraordinarium providentiæ cursum operatur, & in lege aliquâ, in qua aliàs rarissimè conniver, etiam, ut nos loqui solemus, invitum dispensat. In Nuptijs Canæ Galilææ aquam immediatè mutavit in vinum : at hoc factum est miraculo. Lege quidem communi, à Deo statutâ, aqua convertitur in vinum, sed non convertitur immediatè : mediante terræ fertilitate, & vitis substantiâ, secretâ quadam operatione aqua de celo pluvia in vinum transformatur. Scitote ergo, quoties Deus, mente vestrà ad se non elevatâ, ne quidem rogatus, gratiæ suæ vobis præstat auxilia, toties manifestum patrarî miraculum, nec ordinarium curiæ suæ cœlestis stylum in tali liberalitate servari. Et hæc causa est : cur Clemens Alexandrinus, hanc, primo aspectu, mirabilem protulerit assertionem, quæ est : Christiano cuilibet carius esse debere, favores illos, quos orando à Deo petijt, non obtinere, quàm sine precibus iisdem potiri, Ut non sit in numero illorum, qui Deum ad miracula sine necessitate faciendâ tentare volunt.

XI. Insuper, licet Deus independenter ab oratione plurimæ animæ nostræ præstaret auxilia, sæptus tamen non sunt gratiæ ordinariæ : magna illa subsidia executiva, inefficacia, quibus tandem anima Salutem adipiscitur, sicut nunquam ab ipso pro-

missa sunt, nisi flagitanti; ita communissimè rogantibus conferuntur. Et hæc est magis fundata illustriorum Theologorum opinio, quæ singulari quâdam emphasi in Evangelio à Christo nobis dictata videtur : *Vigilate, inquit, vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.* Observate ponderosa hæc verba : *ut digni habeamini* : plena sunt altissimo mysterio, quod vobis exponam. Tam Sancti, quàm peccatores ad obtinendam in ultimo mortis articulo finalem perseverantiam gratiâ indigent particulari & privilegiatâ, dictâ à S. Augustino *donum coronans omnia alia dona.* Est enim quasi ventus Favonius, navim in optatum deducens salutis portum. Imò, quod plus est, gratiam hanc omnium, quæ salutem nostram retardant, impedimentorum triumphatricem, nullus quantum vis justus, condignè promereri potest : omnis equidem justus gratiæ sanctificantis augmentum, quæ est omnium laudabilium actionum nostrarum terminus, condignè mereri valet, quæ est fructui simillima : *habetis fructum vestrum in Sanctificationem* : sed nunquam gratiam adjuvantem, quæ est principium, similisque semini, ex condigno meretur. Ita est purum Dei donum, cuius est dare cui vult. *Qui administrat semen seminanti.* Unde licet aliquis totâ vitâ suâ castior fuisset Josepho, patientior Jobo, Sanctior Davide, Deus permittere potest talem gravi aliquâ tentatione impugnatum labi

in peccatum (sicut Sanctus hic Rex lapsus est) nec lapsi resurrectionem tenetur expectare DEUS (quomodo tamen expectavit Davidem) sed in tali pravicationis statu, absque ullâ ingrati animi, aut injustitiæ notâ ex hoc Mundo eum tollere potest absque injustitiâ; quia cuicumque majus vitæ spacium negat, non debitum, sed donum negat. Considerate ergo, an peccatori istud denegando fiat injuria, qui ipso post peccatum instanti mori deberet. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*, absque ingrati animi nota; quia malum offensæ, à vilissimo homuncione commissum, contra expressam DEI legem, absque comparatione omnibus obsequijs unquam Deo præstitis, aut impofterum præstandis, majus æstimatur. *Quid predest Deo si justus fueris?* Clarum est igitur perseverantiam finalem (imo ipsam ordinariam) nullum unquam de condigno mereri posse. *Perseverantia via non cadit sub merito.* *Tantum de congruo mereri possumus,* hoc est, dispositione quadam congruâ, ut ex parte nostrâ non ponamus obicem dono adeo illustri recipiendo. Quapropter supradictis verbis Christus monuit: *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia ista, que futura sunt. Et stare ante filium hominis.* Non dixit, *ut digni sitis*, ad quod requireretur condignitas, sed dixit, *ut digni habeamini*, ad quod sufficit congruentia. *Congruum enim est, inquit S. Thomas, ut dum homo beatus, in se utitur suâ virtute, Deus secundum superexcellens virtutem, excellentius*

operetur. Sed quæ debet esse ante alias omnes hæc dispositio? audistis ex ipso textu. Debet esse Oratio continua. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini.* Orantes omni tempore. Ecce medium desideratam consequendi perseverantiam. *Vidigni habeamini, ecce finis. Et ideo pergit Sanctus Doctor, postquam aliquis est justificatus per gratiam, necesse habet (notate necessitatem tam expressam, de quâ loquimur) necesse habet à Deo petere prædictum perseverantiæ donum, ut scilicet custodiatur à malo usque ad finem vite. Multis enim datur gratia, quibus non datur perseverare in gratiâ.* Inferamus ergo, Deum egisse nobiscum, quem admodum olim solabant Insularum Balearium incolæ, qui, ut filios suos artis jaculandi pericissimos redderent, nunquam in manus panem ipsi dabant, sed supra trabis alicujus summitatem ponebant; portigendoque illis arcum cum sagittis, jam per artem ad eum tractandam idoneis: Ecce hic panis, inquit hanc, si eum vultis, agite ut in terram cadat. Videte, an non, sicut dixi, eodem modo etiam nobiscum agat Deus. *Parasti indulgentiam tuâ pauperi Deus,* clamat Propheta, O Domine dulcissimam misericordiam tuam ab altissimo Throno tuo omnibus pro salute suâ indigentibus paratam tenes; Orationis arcum portigendo nos identidem extimulas, ut plus ejus plusque ad nos ex alto cadat, ope continuarum precum, quas eò jaculamur: eaq; causâ nunquâ eas, ut sagittas jaculari desinâ. *Clamabo ad Deum altissimû, Deum, qui benefecit mihi, clamabo*

S. Th. 1.
2. 2. q. 114.Math.
7. 7.

1. 11.

1. Tim.
4.Jacob.
5.

mabo, ad obtinendam in bono perseverandam gratiam, ad Deum, qui benefecit mihi, qui mihi incipiendi donum dedit.

XII. Videte igitur, an non orare DEUM necesse sit. Adeo necessarium est, ut absque hoc medio potissimos DEI favores, præcipue illum omnium aliorum excellentissimum, id est, mortem piam, non sitis obtenturi. Quapropter nemo hic seipsum decipiat. Deus hanc legem tulit, *petite & dabitur vobis*, nec propter vos eam mutabit. Et si hoc pretio salutem dilectoribus Sanctis suis vendidit, considerate an absque illo unquam implis sit daturus. In hoc puncto decreta semel lata dispensando non immutat Sphæræ cælestes, Stellæ, omnesque cæli unanimiter parati sunt plenissimo copię cornu saluberrimos suos in nos mortales derivare influxus; sed hoc pacto, legem influxuum ordinariam non transgrediendi. Velletisne ergo vos soli eos cogere ab hac lege derivare? domus suas mutare, pervertere cursum, novasque orditi vias? temeritas foret intoleranda. Id ipsum peccati potest in casu nostro, Deus, non est dubium, ad omnes salvandos paratissimus est, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, ideoque promptissimus est ad gratiarum suarum influxus, omnibus quoque communicandos, sed hac conditione, ut incessantes pro his ad se preces fundantur. *Siquis vestrum indiget sapentiâ, postulet à Deo qui dat omnibus affluentèr, & non improperat, & dabitur ei.* Quare an non ille, qui salvat

desideraret, nec Deo precibus supplex fieri veller, injuriam faceret illi? an non ei resisteret, publicis præter morem legibus se subtrahendo, privilegiaque, non tantum absque meritis, sed etiam sine necessitate exigendo? Difficile est, objicietis mihi, inficiari, Deum non saltem aliquando hujusmodi concessisse gratias. Hoc Deus scit, an similes in casu nostro alicui unquam impertiverit; hoc est, an unquam, in qua plurimum situm est, perseverantiam finalem dederit. Sed concedamus salvasse Deum aliquando hominem absque oratione, illum, qui se Deo orando commendare potuisset, nec tamen fecit, Ergo idem vobis præstabit Deus? Solent aliquando Victores non per civitatis portas, sed per effractos introduci muros, v. à que insuetâ, nec vestigijs alijs unquam trita, triumphalem celebrare ingressum. Hinc ergo præsumetis eodem modo Deum vobiscum acturum, ita, ut dum aperta patet porta, per quam alij intrant in civitatem, vobis è diverso planè novus paretur accessus? An non videtis, hoc esse tentare Deum, quantò magis insolita, tantò magis inconvenientia petendo miracula? Oratio igitur necessaria est pro vitâ æternâ consequendâ. *Oportet semper orare & non deficere.*

XIII. Verum fortioribus adhuc vos urgebo argumentis. Oratio non solum est, ut dixi, medium necessarium pro salute æternâ consequendâ, sed, quod plus est, aliquando est medium unicum, ita ut non aliud, quàm hoc superfit, nos ab æterno in Orci

ba-

barathrum præcipitio præservandi.
 Job 19 *Derelicta sunt tantummodo labia circa*
 20. *dentes meos*, dicebat Job; quasi diceret, peccatorem (qualem ipse undique ulceroso & foetente corpore representabat in fimo) peccatorem dico ob vulnerum suorum multitudinem, pessimorumque habituum foetorem eò miseriæ deductum esse, ut nihil integrum & sanum ipsi reliquum sit, præter labia, quibus se Deo precibus commendare licet. Cæterum ob pœnam culpæ etiam solitâ ordinariæ gratiæ provisione privatur, ita tamen, ut si ad Deum exorandum sua moverit labia, eam sit consecuturus; si verò ea muta & immota manserint, sine veniæ spe pessum iturus sit. *Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos*. Quid nunc ergo amplius dici potest? Hoc nostro Seculo in magnâ quadam urbe, pessimâ invalescente consuetudine, certis quibusdam liquoribus homines intoxicandi, opportunè judicatum fuit, primariarum Platearum angulis affigere certum quoddam antidotum contra tam lethale virus inventum. Optarem ego non solum ad omnia platearum capita, sed imis omnium pectoribus salutaris imprimere monitum, quod est solum illud antidotum, plurimis in rebus animæ desperatis residuum, id est, Oratio: deinde hoc non contentus item ad omnium fenestras, similique tono, qualem tuba illa per torum terrarum Orbem extremo die editura est, clamarem: Detractores, Vindicativi, Usurarij, Sensuales, in peccatorum veterno obstinati, Orate, Orate, Deum incessanter

precamini, ut à peccato vos liberet: ut iram dometis, proprias spernatis utilitates, animasque vestras ex carnalium voluptatum volutabro eripiat, absque hac oratione sperari vix potest, vos pro salute vestrâ quidquam boni facturos. *Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, ne quisquam terrena labiis vincere conamur errores*. Ita definit S. Innocentius Papa scribens ad Concilium Carthâginense, Et quod ita res se habeat, auscultate.

XIV. Certus quidam Adolescens, nomine Pacco, penitentiâ peccata sua expiaturus, Scetes desertum ingressus, post plures inibi annos transactos, tam atrocis carnis tentatione impetitus fuit, ut desperans sibi ipsi mortem inferre statuerit. Dicebat insanus secum ratiocinando. Omnino satius est semel vitam finire, quàm eandem prolongando solum augere demnationem. Sicque ratâ fixâque voluntate fauces cujusdam cavernæ adit, eâ intentione, ut ab egredientibus sub vesperum duabus hyenis, quas ibi latitare noverat, in frustra disperperetur. Et jam planè nudus aliquo tempore adventum illarum operiebat. Ecce bestia illa odore corporis humani, cujus sunt cupidissima, inescata, ingenti cum furore accurrunt, sed vix attigerant hominem, statim mansuetæ ad ejus se provolvunt pedes, illosque non secus ac duo catelli molli-ter lingere incipiunt. Hoc prodigium Monacho tantos addidit animos, ut receptis indutus vestibus, quasi triumphans magnâ cum lætitiâ ad

antrum suum redierit. At Dæmon non abcesserat, sed ut misero magis illuderet, tantisper se subtraxerat. Quare magis, quam unquam antè, primis eum tentationibus aggreditur; in formâ Ethiopissæ illi apparens, adeo ut Eremiticola in pejorem, quam unquam antè desperationem adactus fuerit. Quare iterum foras egressus, cæcis velocissimè vitam abrumpere, videt aspidem in arenâ latentem; quam mox arripit, pungit, & ad magis veneno nocendum irritat, magnòque animo nudo applicat pectori. Verùm aspis solida crudelitati non indulsit, imò ne offendit quidem visa est: quare dum ignorans, cælo indignatus, queritur, eccur fugientibus adeo prodigè acceleraret mortem, querentibus verò adeo parcè eam negaret? vocem audit ab alto clamantem: quid tibi miser imaginaris, à te viribus tuis posse tentationes superari? Deum roga, Deum precare, & quando cognitâ vilitate tuâ omnem in Deum spem collocaveris, nunc palmam reportabis. Quâ voce rantiâ mens Monachi instructa fuit luce, ut ad debellandos Dæmonis insultus non aliud magis expediens cognoverit medium, quam continuam Orationem; quâ ille quamprimum se munivit, & deinceps nec toti Acheronti cessit. Vos verò interim perpendite quæso, verâne sit hæc mea doctrina? An Deus non primâ vice miserum hunc Anachoretam, tam terribilibus potuit liberare impugnationibus? & tamen non liberavit: sed potiùs trita voluit patrare miracula, quæ fuere: primò ab hyena.

R. P. Segneri S. I. Christ. Instr. Tom. III.

rum illæsum servare dentibus, deinde ab Aspidis custodire veneno, denique è cælo ipso illum alloqui; potius quam unum solum facere miraculum, quod tamen omnium fuisset majus, hoc est, absque præmissâ ferventi oratione illum liberare. Quisquis calorem ad indispensabilem orationis necessitatem, quâ omnes indigemus, probationem desiderat, illum aut Fide, aut ratione carere dixero.

II.

XV. Fateor quidem hanc legem aliquibus duram visum iri, si Oratio, quam ad salutem consequendam est necessaria, non etiam tam efficax foret. Sed magis animis estote, videbitis enim efficacissimam esse: vis ejus & energia à tribus dependet capitibus, à me nunc exponendis. Primum videre est ab ipsâ Orationis naturâ, quæ ad id ordinata est, ut alterius animum ad id, quod petitur, elargiendum inducat, nec aliam ob causam, quam quod rogatus sit, desiderata concedat. *Domine non confundar, quoniam invocavi te, inquit* Ps. 30. 10.

Domine, quantum vis nullis polleam meritis à te aliquid obinendi, solus hic tamen supplicis, ad pedes tuos provoluti, titulus ad quidlibet à te sperandum mihi sufficit. Quodnam equidem aliud in misero naufragante requiritur meritum, ad opem in præsentissimo suo periculo impetrandam, quam eandem clamore supplici exposcere? eritne aliquis cordis adeo crudi, qui pro porrigendâ naufrago tabulâ aliquid præterea exigat? ipsa etiam bruta animalia

malia, quando agitata apud nos videntur querere refugium, ad opem sibi ferendum quasi nos cogunt: unde Atheniensis inhumani illius Senatoris nomen perpetuâ notatum mansit infamiâ, quod passerem fugientem ab accipit & in gremium suum ad volantem, etiam ridendo rejecerit. Quare quomodo tale quid in corde Divino nobis imaginabimur, quale si in homine reperiremus, omnino creaturâ rationali indignum sentiremus? *Rogationem contribulati ne abicias*, inquit Ecclesiasticus. Unde quomodo quis sibi persuadeat, quando non vilissimum aliquod animalculum, sed Anima immortalis, toto Mundo corporeo præstantior, ad optimum suum recurrit Dominum, ut, à quibus jamjam deglutienda est, Inferni faucibus se liberet; illum, cum amicè deberet eam amplecti, potiùs velle infelicissimæ merita rigido subicere examini, nec precibus, nec lacrymis ad se suis contentum, insuper præstita exigere obsequia? fallimini, fallimini. *Invoca me, servabo te*; & hæc invocatio, subjungit Deus, ad eam devinciet Bonitatem, ut inter invocationem, & opem nullum temporis spacium relinquatur. Imo petitionem suam, antequam finierit, benignâ jam manu signatam sentiet. *11. 65. 24. Adhuc illis loquentibus ego audiam, & s. Th. 2. ratio est, quia meritum innititur justitia*, ait S. Thomas, *sed impetratio innititur gratia*; absque hoc, licet sustinere voluerimus ad Orationis efficaciam orantis etiam prodesse merita, his non caret, quicunque ob eam, quam

habet de Deo, æstimationem ad precandam se accingit. Imò pla Oratione (ut bene notavit Angelicus Doctor) Dei familiaritatem, quod est grande meritum, nascitur: unde magna est differentia inter preces, quæ Deo, & illas, quæ homini supplices offeruntur. Ad homini supplicandum oportet jam ejus trui familiaritate; ad Deum verò exorandum hæc non requiritur; ipsa enim Oratione nos ejus reddit amicos. *Ipsa oratio qua ad Deum emittitur, familiares nos Deo facit*. Quippe Oratione est mentis in Deum elevato, per fidem; & elevatio voluntatis per fiduciam.

XVI. Alterum caput, à quo Orationis efficacia dependet, validius, est promissio à Christo facta, eaque toties in Evangelio confirmata. *Pe. Luc. 11. rite & accipietis; quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis; omnis enim qui petit, accipit*. Deus, quia pauper esse non potest, avarus etiam esse non potest. Sed si per impossibile in aliquo casu summa Dei Bonitas unquam se diffundere posset invita, ei, qui se ex animo invocat, adeò devincta est, ut omnem liberalissimè donandi difficultatem superaret. Unicum Dei verbum à torseculis, inter exigua araneæ littora, constrictum tenet mare; ingentem hunc terræ globum suspendit in aère, nunquam huc usque loco suo motum. Adeò rapido concitat celos cursu, ut intra unius horæ spacium plus quam quadraginta duos miliarium conficiant milliones; multò plura similia absque numero patrare potest miracula, & non potest

poterit supplicii alicui creaturæ suæ ,
 post reiteratas promissiones , facere
 elemosynam , quàmque , ut à se pe-
 teret ; toties suavit , præcepit , roga-
 vitque ? Qui de Orationis efficaciam
 dubitat , jam fidem negavit , quia aut
 dubitat , an DEUS promiserit à se
 nos exaudiendo ; aut , an ei promissa
 servandi potestas sit , ita ut major ivi-
 ribus suis debito solvendo se obligã-
 rit . Cùm tamen nemo ignoret , ver-
 bum Dei non esse verbum alicujus Re-
 gis , sed verbum DEI , hoc est ver-
 bum , cui resistendo nulla in terris est
 potestas . *Omnia quaecunque voluit ,
 Dominus fecit .* Ex alterâ parte , quid
 causæ movere divinam potest Bonita-
 tem non standi promissis , cùm de pos-
 sibilitate servandorum sit certissimus ?
 Fingite casum hunc impossibilem ,
 promissa sua DEUM infringere : abs-
 que ulla comparatione major foret e-
 jus jactura , quàm nostra . Quid nos
 miseri perderemus vermiculi ; si da-
 tam ille nos exaudiendi falleret fidem ?
 Perderemus bonum aliquod finicum ,
 cujus tantùm capaces sumus . DEUS
 verò perdendo infallibilitatem suam ,
 bono privaretur infinito adeoque per-
 fectionem perderet infinitam , imò ,
 ut melius loquat , perderet ipsum Esse
 DEI . Quam ob causam ut probaret
 S. Paulus Deum fidelem esse , ad omnes
 dixit , Deum seipsum negare non pos-
 se . *Seipsum negare non potest .* Quo-
 niam nos quidem fidel nostræ deesse
 possumus , non desinendo esse qui su-
 mus ; DEUS verò fidem suam labefa-
 ctare non potest ; quin desinat esse ,
 quod est . *Ego sum veritas .* Salkem
 indubitatum est , quòd suam fran-
 gendo nos exaudiendi fidem , sta-
 tum suam privaretur gloriã , qui est un-
 cus extra se operandi finis . Et
 quòd ita se res habeat , auscultate . In
 Judicio particulari , ab unoquoque
 post animæ ab hoc Mundo egressum
 subeundo , dabit , ad ostendendum
 Bonitatis & Justitiæ triumphum (*ut
 vincat cum judicaris*) dabit inquam
 cuique sui defendendi locum , & ad
 proferendas excusationes animabit .
*Narra si quid habes ut justificeris . Nul-
 lus tamen nocens animum responden-
 di habebit . Omnis iniquitas oppilabit
 os suum .* Sententia à Christo ferenda
 adeò clara erit , ut omnium obmute-
 scant ora . Non autem talis appare-
 ret , si pro defensione suâ , liberalia sibi
 promissa non servata corâ iplo Judice
 possent allegare Impij . Moram , moram
 nobis date (tunc dicerent Reprobj) an
 non nobis dictum fuit , pro salute no-
 strâ acquirendâ . *Omnia qua orantes
 petitis , credite , quia accipietis ; & eve-
 nient vobis ?* Et ecce , petivimus infel-
 lices , sed in vanum . Et in solennis-
 simo illo Extermini diei iudicio , quo
 modo auderent Angeli , quatuor E-
 vangelij volumina , ad roborandam
 ob Sacrarumillarum Paginarum vio-
 lationem damnandorum , causam pro-
 ferre ; si totidem in contrarium , ex
 his ipsis libris , possent adferre asser-
 tiones , non considerando , quis eas
 promulgaverit ? possentque objicere .
 Hi sunt ipsimet libri , è quibus torles
 nobis inculcatum fuit ; oraremus , pre-
 caremur , pulsaremus , Patrem cæle-
 stem pro æternâ salute nostrâ invoca-
 remus

remus, eam nos certò obtenturos : & heu decepti sumus. Oporteret in tali casu, Angelos, utpote honoris & gloriæ Domini sui Zelosissimos, omnium ab eodem dictorum abolere memoriã, & potiùs, quàm unum Evangeliorum codicem in lucem producerent, omnes simul quatuor communi rotius Univerſi incendio devorandos, inque cineres redigendos permittere. Videris itaque, sicut certum est, non tantùm non posse dimi-
 nui Esse DEI, sed nec simplicis, quem habet de gloriã suã, Zeli iacturam pati, ita certum est similiter, nec Orationem ritè peractam suã posse carere efficacità. O Infana hominum corda, quæ tam audacter fragili & fractæ innituntur arundini, id est, mutabili & fallaci hominum promissioni, monti verò integro, qui est ipse DEUS, eorùmque se præbet, sustentaculum, fide-
 re pertimescunt. *Factus est mihi Dominus in refugium & Deus meus in adiutorium spes mea.*

Ps. 91
 22.

XVII. Optimum tamen adhuc mihi restat argumentum, qui est fons tertius, ex quo salubris Orationis scaturit efficacità. Hæc sunt Christi merita, omnibus nobis velut fratribus suis minoribus, concessa. Qui alium meliori modo vult securum reddere, non verbis tantùm & datã syngraphã contentus est, sed insuper aliquod pignus tradit. Simili modo egit Dominus noster. Sciens ille hominem naturã suspiciosum esse, & primum ad dubitandum, ut ipsi omnem de se non exaudiendo dubitationis ansam tolleret, voluit, post tot tantisque, quas

ab unigenito Filio suo fieri voluit, promissiones, voluit, inquam, immobile securitatis pignus relinquere. O quale pignus! Charissimi, o utinam illud cognosceretis; sunt utique omnes ipsiusmet unigeniti Filij Dei cruciatus, omnes sudores, omnis sanguis, omnes, ut paucis absolvam, divinæ & humanæ, quas exercuit, operationes. Imensas has Divitias optimo animo nobis cessit Pater cælestis in artham certissimam nunquam patienti repulsam. Quamobrem responde mihi, quid est, quòd Orationi diffidat? an ideo quòd nullum meritum in vobis dignum exauditu appareat? Sed quæto adeste animis: omnia JESU Christi merita vestra sunt; dico, vestra: quia obstrictissimam, quam membra habent in quovis corpore cum capite conjunctionem, sequitur etiam in mystico Ecclesiæ corpore, opera JESU Christi, non tantùm Christi, sed etiam nostra ipsorum opera à Patre æterno æstimari: id quòd adedò verum est, ut S. Thomas hanc ob causam probaverit, potuisse Christum operibus suis non solum salutem nobis impetrare, sed etiam illam mereri. Quia dum opera illa considerantur velut sua, & nostra, moraliter unus idemque operans merensque æstimatur. Ideòque si merita JESU Christi, quasi nostra uniuscujusque propria à Patre cælesti habentur, cur dicitis, Charissimi, vos in Oratione meritum vestrorum defectum extimescere? sufficit nolle vos à tanto capite peccato ullo mortali separari, ne subitò tanquam membra mortua reji-

8. Th.
 1. 9. 11.
 3. ad 2.

Matth.
 18. 20.

1. 9. 11.
 11. 1.

Ps. 30.

ciam sol. De cætero, O beatos vos !
 Nihilominus omnia, quæ hucusq; ac-
 tuli, non sunt præcipua, quæ ad ani-
 mos vobis addendos sufficiant. Non
 enim Pater æternus solum merita uni-
 geni Filij sui orantibus pro pignore
 & cautione assignare voluit, sed e-
 tiam eundem Filium suum nobis obsi-
 dem reliquit. Quid hic amplius
 desiderari potest? Potest equidem Pa-
 ter aliàs dicissimis gemmarum pro pi-
 gnore relictarum jacturam patienti
 ferre animos; at filium unicum pro se-
 curitate oppigneratum perdere, quo-
 tandem feret animos? Atqui hanc Chri-
 stus hodie dum in Sacris Altaribus no-
 stris representat personam, quam ad
 finem usque Mundi sustinebit: *Ecce
 ego vobiscum sum omnibus diebus usque
 ad consummationem seculi.* Et hæc
 omnia non sufficerent ad fluctuantes
 nostros in Oratione animos confir-
 mandos, ita ut facilius sit imposterum
 a vernali inimico è pectore cor no-
 strum, quam è corde confidentiam
 evellere. Sola Christi merita tantum
 ad preces nostras exaudiendas nobis
 jus tribuant, ut quasi non amplius ti-
 tulo misericordiæ, sed justitiæ, quas
 volumus, gratias à Patre petere li-
 ceat. *In justitiâ tuâ libera me.* Quid
 ergo erit quantique valoris, si ad per-
 sonalia Redemptoris merita (spectata
 etiam ut merita nostra) ipsamet etiam
 Persona accedat? quid excelsius à Deo
 flagitare possumus, quam illum, quem
 habemus in manu nostrâ. Jesum Chri-
 stum? Neque etiam Christus amplius
 facere poterat, ut fieret nobis is, quem
 se modo nominat, *Deum Spei*, quam ut

eandem confidentiam non tantum
 super verba sua, sed etiam super pro-
 priam fundaret personam: adeoque
 quasi captivum se intra Altarium no-
 strorum Sacratia, utque securitatis ob-
 sidem in quotidiano precum nostra-
 rum cum Patre æterno commercio se-
 sistit, quas propterea semper cum hac
 ce terminamus clausulâ: *Per Domi-
 num nostrum Jesum Christum Filium
 tuum.* Nanquam enim hæc non exau-
 diti potest. *Amen, amen dico vobis: si
 quid petieritis patrem in nomine meo,
 dabit vobis.*

XVIII. Tribus ergo hisce funda-
 mentis sustentatur Oratio: quæ ad in-
 stat celeberrimæ scalæ Jacob à terra
 ad cælum usque pertingens, idem ge-
 neroso aggreditur animo, ut fieri con-
 suevit in munitionum & arcium as-
 sultibus, quibus paciscendo sese dede-
 re hostibus, ignominiosum videtur
 Oratio pro Deo vim infert. Audax hic
 fortè videretur loquendi modus, si
 pridem eo ipso Deo ore proprio usus
 non fuisset: *Dimitte me* (quondam di-
 cebat Moyse, dum ab eo pro obrinen-
 dâ Hebræis rebellibus veniâ arden-
 tissimis urgeretur precibus) *Dimitte
 me, ut irascatur furor meus contra eos.*
 Non aliter, quam nonnemo in rixa
 cum alio, cum ab accurrentibus, ad
 dirimendos jurgantes, Impeditur, ex-
 clamat: *sinite ut proditorem istum,
 medio tollam.* Nihilominus Moyse so-
 rare non cessans DEUM placavit,
 vicique. *Dei potentiam, inquit S.
 Hieronymus, servi preces impediabant.*
 Id quod tantopere vim & efficaciam
 attollit Orationis, ut quid sublimius
 dici

dici possit, non appareat. Si enim magnâ cum cautelâ legibus humanis permittum est servis, supplices Dominis suis offerre preces, aurisque rogando fatigare; quàm mirabile non erit, Dei Tribunal tam benevoluntatis omnium generis etiam violentas servis suis permittere preces, quin imò tantum roboris & efficaciam, ut quasi in conflictu aliquo Omnipotentiam vim inferant, superentque? Sed quid refert? Interim de Oratione verificatur, quod olim Jacobo ab Angelo dictum, qui similiter ab eo luctando vinci volebat: *Contra Deum fortis fuisti.* Certus quidam Milo ob insolitum corporis robur inter antiquos famosissimus, ubi manum in pugnum strinxerat, neminem earum reperiebat vitium, qui illam sibi diduceret. Una tamen fuit persona, illi imprimis chara, quæ summâ cum facilitate ejus manum aperuit. Cuiusquam tantus esset animus, ut Deum Omnipotentem, etiam invitum, ad manum suam aperiendam cogeret, si ille nolleret? etiam cogitare quid simile, temeritatis foret. Verum ille ab eo, qui eum supplex rogat, vinci desiderat. Quare milies tam adamicam erga se violentiam adhibendam invitat, variisque in casibus omni studio repugnantem, resistentem & obduratum se simulat, quò nobis occasio relinquatur certo quodam modo vi ad preces nostras eum inste-

Arth. 25, 28. Etendi. O mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut vis.

XIX Quapropter quid Oratione ad Deum suscipi efficacius desiderari potest? plus efficit apud Deum Oratione, quam

ipsamet precantis merita, quàm ipsa amicitia; quod nec merita, nec amicitia evincunt, sola sapientissimè Oratione obtinet. *Etiam ea, quæ non meremur, orando impetramus,* clarissimè docet S. Thomas; imò certo quodam modo plus valet Oratione, quàm Sacramenta: ipsa enim effectus suos habent determinatos, intrâque certos limites restrictos; Oratione verò valet ad omnia, ad tantumque se extendit, quantum Omnipotentia divina se extendit. Adeoque Oratione soli gratia summi illius doni consequendi reservata est, quod est, ut supra intellexistis, perseverantia Finalis, quæ in totâ Scripturâ nulli alij operi pio promissa legitur, quàm Oratione. Favorabilis necesse est ut sit ventus, qui salvos in portum nos deducat: non ita est? *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Ecce igitur, cui Favonius ille infallibiliter promissus est: nimirum postulanti: *Servos, cum sitis mali, nostris bona data dare filijs vestris quantum magis Pater vester de celo dabit Spiritum bonum petentibus se?*

XX. Quis nunc auditis hisce Veritatibus, non miretur summopere supinam, tot peccatoribus communem, negligentiam, qui ne quidem semel per diem, imò neque fortè per mensem, se Deo precibus suis commendant? An non hoc est sua sponte vellet infelicem esse? tam facile ab omnibus se liberandi malis non uti remedio? Abassinorum Imperator nunquam sibi supplicantibus faciem solet ostendere, sed tantum, idque insigni gratiâ, modo pedem aliquem modo

modo manum. Quod si idem nobiscum faceret Deus, nihilominus toto die submissis miseris nostras precibus illi representare deberemus. Denique cum in omni loco, omni hora & tempore benignis non solum Deus se invocantes aspiciat oculis, sed etiam invitet, moneat & imperet, ne ab Oratione desistamus, nos, non scio, quam sopiti torpedine, & attoniti, oblatum spernimus accessum, potiusque obstinatissime mori; quam eleemosynam petere malimus, & quid aliud humana expectat pigritia, quam sui ipsius confusionem? Deum velle plus boni nobis conferre, quam accipere velimus! Deum magis desiderare nos esse malis eripere, quam nos eadem evitare cupiamus! *Erubescat humana pigritia*, inquit S. Augustinus, *plus vult ille dare, quam nos accipere, plus vult ille misereri, quam nos à miseria liberari.*

XXI. Verum est, multos sibi persuadere intrando diebus Dominicis Templum coram Altari majori flectentes se preces persolvere. Sed quæso, quæ potest hæc esse Oratio? Populum unum inflectere more supplicantis, alterum more illudentis erigere? in omnes Templi angulos conjicere oculos; intercisa aliqua ruminare verba: subinde etiam tergum obvertere Altari, in quo, ceu solio, Christus residet? Si pauper quispiam talli schemate, aut obvertendo tergum, aut hinc inde respiciendo à vobis peteret eleemosynam, illamne tam facile illi porrigeretis? An non vos modis absque comparatione multo in-

prioribus pejoribusque similem à Deo eleemosynam petitis? Quæ Orationis species hæc vobis videretur, solâ labiorum superficie terminata? *Illam Orationem Deus non audit*, inquit S. Gregorius, *cui, qui orat, non intendit. Oratione secundum omnes, est elevatio mentis in Deum.* Non est igitur sola linguæ se moventis, aut manuum corollam precatorem terentium operatio; est spiritus simul, & cordis operatio. Si filiorum, aut fratrum vestrorum quispiam, si maritus vester, in periculo ab Judice mortis sententiam accipiendi vesaretur, an adeò frigidè tunc Principem rogaretis, sicut modò Deum deprecamini, ut ab Orco vos liberet, à quo, quotiescunque mortalis culpæ estis Rei, non nisi duobus distatis digitis? Credo hoc unum è majoribus inter damnatos Christianos malæ conscientia fore tormentum: videre quam facilè salutem æternam consequi potuissent, petendo à Deo gratiam, ab isto cessandi lusu, hoc illudve injustum restituendi lucrum; illas intermittendi blasphemias, talem cum tali inveniendi pacem, illud infame tollendi commercium, & nihilominus tam parum pro salutis suæ securitate operis neglexisse. Non ita pridem nobilis quidam Flander in Hispaniâ in carcerem coniectus fuit, cui lina ab amicis, aliâque rumpendis compedibus ad capiendam fugam, instrumenta submissa fuere. Verum quia lina aliâque frangendis vinculis suppellex citharæ aliive instrumenti musico inclusa erant, infelix ille vir non advertit; quare tam opportuna uti oc-

casio-

calione nesciens in ferali pegmate capite truncatus fuit. Ah miseri peccatores, qui à Deo omnia ad diffringendas compedes vestras necessaria accepistis instrumenta, quasi suavissimæ inclusa testudini, hoc est, in tam facili Orationis medio, & tamen uti illo ipso non dignamini! Si nobilis ille opis sibi allatæ, cavo inclusæ ligno, aliquam habuisset cognitionem, putatisne illum eadem usurum non fuisse? Nihilominus vos, qui ex ore meo audistis, quanta sit necessitas, quanta ad obtinendam Dei gratiam, perseverantiam, Cælum, omniq; bona, Orationis efficaciam; audebitis adeò insipienter negligere; diceretq; , vobis pro precibus ad Deum fundendis tempus non suppetere, aut vos modû precandi ignorare? sed quid erit tandem, quando non tantùm caput in ferali theatro, sed animam æterno gehennæ rogo adjudicatam intueri oportebit? Una media hora, si obrineri posset in aernalibus hisce flammis orandi Deum, quàm preciosa foret? hæc tamen post tot seculorum myriades expetita, nunquam concedetur.

Ps. 111.

Desiderium peccatorum peribit.

XXII, Quare antequam hinc discedamus, Charissimi, quod tandem nostrum erit decretum? Hoc esto, Patrem cælestem audire, eumque impostum frequentissimè invocare, Ecce suavissimum ejus alloquium? Ergo

Jorem.

34

saltem amodo vocame, Pater meus tu es.

O quàm legitima, post tot allata necessitatis & Orationis efficaciam documenta, Consequentia: Ergo saltem amodo. Saltem hodie & imposterum, Deberemus quidem semper velut pauperes miserabilesque ante Divinæ Misericordiæ nostras exhibentes miseras, ejusque implorantes opem, stare; at velut fugitivos, Divini obsequij propriæque utilitatis nostræ hostes, comparere nos tædunt, Saltem ergo nunc, saltem in futurum compareamus. Parvo illo vitæ nostræ residuo, quantumcunque erit, præteritam compensem negligentiam, Saltem amodo voca me: nullum sit, quod vos avocet, impedimentum, Ne impediaris orare semper. Simillima vult esse in parte Orationis respirationi, ut sit continua: ne impediaris orare semper. Neque negotia, nec cura familiæ, neque itinera, neque somnus, nec amici, nec recreationes, respirationem impediunt; ita nec etiam opem à Deo petendam morari debent. Sine intermissione orate, Adeò que medio tam valido æquè ac suavi salvati gratias agentes benedicemus Dominum, qui tantâ cum benignitate nunquam à Throno suo preces nostras, nec à precibus nostris gratiam suam, & favorem amovit. *Benedictus Deus, qui non amovit Orationem meam, & Misericordiam suam à me.*

Jacob. 43.

Orat. 30.

DISCUR-